

ere paci & tranquillitati alicujus republice, quam si cui-
libet populari homini tribuas potestatem corrigendi præla-
tum, aut dominum suum. Erit tunc quælibet republi-
ca umbra quedam, aut imago inferni, in quo, teste Job,
cap. 10. *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Qua-
lis quæso esse potest ordo, ubi is, qui corrigendus est,
corrigitur vult? & qui corrigere debet, correctionem pati-
tur? Nullus certe est ordo, immo maxime ordini con-
trarium est, ut is qui præest, corrigatur ab illo cui præest.
Nullus enim tunc esset alio superior, si cum eorum aliquis
delinquit, se invicem possent corrigere. O miseranda talis
republica, quæ juxta Vviclephi sententiam gubernanda
esset. In ea enim omnes rudes homines, idiotæ, scelesti,
raptores, adulteri, mendaces, prælatos & dominos suos
corrigit vellent, & qui peior esset, vehementius domi-
num & superiorem invaderet, ut ipse à nullo puniretur,
sed in sua nequitia impunis maneret. Tunc enim omnia
essent confusa. Puer contra senem tumultuaretur, igno-
biles surgerent in nobilem, idiotæ contra sapientes, disci-
puli contra magistrum, filii adversus parentes. Et ita ef-
feret respublica puteus quidam, (vel ut verius dicam)
abyssus scandalorum. Quid non faceret populus tali licen-
tia donatus? Est enim populus fera quædam & immanis-
sima bestia, qua non est alia ferior, aut truculentior. Præ-
terea, si licet cuique homini ex plebe dominum delin-
quentem corrigere: cur David in spelunca existens
quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem, non in-
terfecit eundem Saulem, cum tunc facillime id agere
potuisset? (1. Reg. 24.) Nonne Saul Rex jam malus erat, &
regno à Domino Deo privatus? Numquid non jam occide-
rat Achimelech Sacerdotem, & alios 85 viros vestitos Ephod
lineo, propterea quod David esurienti panes propo-
sitionis dedisset? (1. Reg. 22.) Numquid non ipsummet
David sæpissime occidere tentaverat injuste, fecissetque,
nisi Dominus servum suum de manu illius servasset? Et
tamen cum hæc omnia notissima essent ipsi David &
omni populo, noluit David illum punire cum pos-
set, sed solum oram chlamydis Saul silenter præscidit,
nec tamen forte sine aliqua quavis levi culpa id fecit:
quod ex eo convincitur, quod postea pœnituit ipsum
David, eo quod abscedisset oram chlamydis Saul. Quo
fit ut multo magis pœnituisse eum, si personam Saul per-
cussisset. Ideo viris suis consulentibus illi ut occideret
Saul, dixit David: (1. Reg. 24.) *Propitius sit mihi Do-
minus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut
mittam manum in eum, quia Christus Domini est*. Rursum,
beatus Gregorius exponens illud Job cap. 24. *Qui regnare
facit hominem hypocritam*, sic ait: Sed quia rectores habent
judicem suum, magna cautela subditorum est non
temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra
per semetipsum Dominus res namulariorum fudit (Mat. 12.)
& cathedras vendentium columbas evertit, & nimi-
rum significans, quia per magistros quidem vitam judicat
plebem: sed per semetipsum facta examinat magistrorum.
Et aliquibus interjectis, subdit: Igitur sicut prælati cu-
randum est ne eorum corda æstimatione singularis sapien-
tiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est
ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum
vita jure reprehenditur, oportet ut ex eos subditi etiam
cum displiceant, venerentur. Hæc Gregorius. Ex cuius
verbis constat non licere subditis de vita pastoris judicare:
minus ergo licebit eis pastoris malam vitam punire. Dein-
de, cum superius in titulo de potestate jam probaveri-
mus, nullam potestatem nullumque dominum amitti per

peccatum mortale, convincitur ex eo subditis non licere
dominos suos delinquentes punire. Alioqui cum deliquit-
sent, jam potestatem amississent, propterea quia peccan-
tes subfuit illis ad correctionem quibus ante peccatum
præerant. Demum ex 45. articulis Joannis Vviclephi in
Concilio Constantiensi sessione octava damnatis, decimus
septimus sic ait: *Populus possunt ad suum arbitrium
dominos delinquentes corrigere. Qui articulus simul cum
aliis ejusdem ibidem damnatus est.*

SUFFRAGIA DEFUNCTORUM.

NON satis visum est Luthero viventibus nocere, nisi
etiam defunctis nocuisset. Viventes enim à ve-
neratione Sanctorum avocet, ne videlicet eorum oratio-
nibus juventur, qui plurimum apud Deum possunt. Defun-
ctos vero vivorum suffragiis fraudat. Itaque & vivo-
rum & defunctorum hostem se esse demonstrat. De Sanc-
torum veneratione jam disputavimus, superest, ut pro
suffragiis defunctorum adversus Lutherum pugnemus.
Dicit enim Lutherus nihil prodesse defunctis orationes,
sacrificia, elemosynas quæ à vivis pro illis fiunt. Nec
tamen hujus erroris primus auctor est Lutherus, quon-
iam ante eum fere Vvaldenses, & Albigenes, qui
hunc tutati sunt errorem. Et ante istos eundem errorem
docuerunt Græci & Armeni, qui (ut alias diximus) ne-
garunt omnino purgatorium, quapropter, juxta eorum
sententiam, oporteret orationes pro defunctis esse inu-
tiles. Primus hujus erroris auctor, quod sciam, fuit Aeri-
us quidam Presbyter. Hunc enim errorem illi impingit
Augustinus libro de hæresibus, cap. 55. Et certe si de-
functi tales sunt quales hi hæretici, fateor non oportere
sacrificia, aut orationes pro illis Deo offerre, quoniam frus-
tra offeruntur talia pro iis qui in inferno sunt. Verum
pro iis qui sunt in purgationis loco, pium est & utile
Deum orare, aut alia sacrificia offerre. Nam in purgato-
rio existentes cum charitatem habeant per quam Christo
capiti conjungantur, fit ut membra sint corporis Eccle-
siae, cujus & membra sunt alii viventes. At hoc à natura
instum est, ut uni membro patienti reliqua compatian-
tur, & se invicem membra juvent, cum alterutro egerit.
Cum ergo in purgatorio existentes patiantur, opus est ut
viventes eos juvent orationibus & sacrificiis. Nam si vi-
ventes pro vivis orantes exaudiuntur, cur non etiam
cum pro mortuis orant, si illi egerent, & tales sunt qui ju-
vari possunt. Membro siquidem præciso nullum auxilium
præstare potest aliud membrum in corpore manens. Mem-
brum tamen quantumlibet languidum dum corpori adhaeret,
ab aliis membris juvari potest. Et hæc de causa ora-
tiones viventium non profunt existentibus in inferno:
quoniam hi sunt membra præcisa: existentes autem in
purgatorio, membra sunt corpori conjuncta, & ideo à
reliquis membris juvari possunt. (Marc. 2.) Cum vidisset
Jesus fidem quorundam offerentium illi paralytico, ait
paralytico: *Fili, dimittantur tibi peccata tua*. Si fides
istorum offerentium tantum profuit paralytico viventi, cur
non fides offerentium sacrificia poterit prodesse defunctis,
cum isti sint ejusdem corporis membra coram Deo viventi-
a? Præterea Tobias senior filium suum bonis consiliis
erudiens, cap. 4. ait: *Panem tuum & vinum tuum super
sepulcrum justi constitue*. Nisi enim oblationes pro defunc-
tis factæ aliquid illis prodesse, frustra Tobias suasisset
filio constituisse panem & vinum super sepulcrum justis.
Non enim ponuntur illa ad pascenda corpora defuncto-
rum,

rum, potest viventium, pauperum videlicet, & Sacerdo-
tum, ut hæc elemosyna pauperibus oblata, in utilitatem
cedat ipsius defuncti. Rursum, in 2. Machab. lib. cap.
12. apertissimum habetur pro suffragiis defunctorum tes-
timonium, ubi sic dicitur: *Judas facta collatione duodecim
mille drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis
mortuorum in sacrificium, bene & religiose de resurrectione
cogitans*. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos
speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mor-
tuis: sed quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormi-
tionem acceperant, optatam haberent repositam gratiam:
*Sancta ergo, inquit, & salubris est cogitatio pro defunctis
exorare, ut à peccatis solvantur*. Hæc ibi. Quibus verbis ni-
hil potest expressius dici ad hunc errorem proferendum.
Quapropter videntes hæretici se hoc testimonio vehementer
argeri, ad hoc commune illis asylum confugiunt,
dicentes, illum Machabæorum librum non esse canonicum,
neque esse tantæ auctoritatis, ut ejus testimonium sufficiat
ad aliquam doctrinam refellendam. Verum de hoc non
est opus nunc disputare, quoniam ne passim talem susci-
peremus laborem, supra libro primo, capite secundo of-
tendimus, catalogum eorum librorum qui Canonici ap-
pellantur, quorum testimonio uti oportet in disputatione
quæ de rebus ad fidem spectantibus fit. In quo catalo-
go inserti sunt duo libri Machabæorum, qui licet non
fuerint ab Hebræis in canone computari, ut beatus Hie-
ronymus ait: Ecclesia tamen tamquam canonicos recipit
illos libros. Cæterum, & si hi libri canonici non essent,
neque ullum esset scripturæ sacræ testimonium apertum,
efficacissimum esset testimonium pro hujus rei confirma-
tione, totius Ecclesiæ Catholicæ vetustissima consuetu-
do. Unde beatus Augustinus in libro de cura pro mor-
tuis agenda, cap. 1. sic ait: *In Machabæorum libris legi-
mus oblatum pro mortuis sacrificium*. Sed etsi nusquam
in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est
universæ Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret aucto-
ritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad
ejus altare funduntur, locum suum habet etiam com-
mendatio mortuorum. Hæc Augustinus. Sunt etiam plures
alii sacri Doctores, sanctitate perinde ac doctrina illustres,
qui pro hac re testimonium dicunt. Et (ut recentiores
omittam) à beato Gregorio initium fumo, qui li-
bro quarto Dialogorum, capite quinquagesimo quinto, sic
ait: *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum
solet animas etiam post mortem facta oblatio hostiæ salu-
tatis adjuvare, ita ut hanc nonnumquam ipsæ defunctorum
animæ expetere videantur*. Hæc ille. Quod autem
dixit, si culpæ post mortem insolubiles non sunt, propter
eos qui sunt in inferno, dixit, quorum peccata insolubilia
non sunt, nec ulla possunt jam satisfactioe redimi.
Theophylactus super Lucam exponens illud Lucæ, cap.
12. *Timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam*,
sic ait: *Vide enim quod non dixit, meritis eum
qui postquam occiderit, mittit in gehennam, sed habentem
potestatem mittendi*. Non enim semper qui moriuntur
peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate
Dei, ut etiam dimitti possint. Hoc autem dico
propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis,
quæ non parum conducunt etiam iis qui in gravibus
peccatis mortui sunt. Non omnino igitur postquam oc-
ciderit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mit-
tendi. Ne igitur cessemus per elemosynas & intercessiones
proprium reddere eum qui potestatem habet mittendi,
non semper potestate hæc utentem, sed & valentem

remittere quicquam. Hæc Theophylactus, qui satis aperte
suffragia quæ pro defunctis fiunt, commendat, & ad
illa facienda suadet. Beatus Chrysofomus homilia sexagesima nona,
Bernardo Brixiano interprete, hujus rei vetustissimam assignat originem, dicens: *Num temere ab
Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis,
defunctorum agatur commemoratio*. Sciunt enim illis inde
multum contingere lucrum, utilitatem multam. Hæc
Chrysofomus. Ex cuius testimonio constat hanc ab Apostolis
manasse institutionem, ut in Missæ sacrificio defunctorum
fieret commemoratio, ut inde aliquid lucri defuncti
consequerentur. Athanasius in libro de variis quæstionibus
ad Antiochum Principem, quæstione tricesima quarta,
hoc modo exaruit: *Quid ergo? Num sentium aliqua
beneficia etiam peccatorum animæ, cum super illis
sunt conventus & peractiones bonorum operum & oblationum?*
Cui quæstioni per sequentia verba respondet: *Si non aliquo beneficio
participaret ex illo, non utique in cura & exequiis fieret commemoratio*.
A. Sicut visis florescit extra in agro, & odorem ejus sentit in vase vinum
reclusum, sicque conflorescit etiam ipsum: ita intelligimus
peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangu
immolatione, & gratificatione pro ipsis facta, sicut
solus ordinat & præcipit, qui vivorum & mortuorum
potestatem gerit Deus noster. Hæc Athanasius. Et
beatus Dionysius Areopagita Pauli Apostoli discipulus,
libro de Ecclesiastica Hierarchia, capite septimo, describens
ceremonias quæ in defunctorum exequiis suo tempore
sebant, ait: *Accedens deinde venerandus antistes precem
suam super mortuum peragit, postque precem & ipse
presul eum salutat, & suo deinceps ordine qui astant
omnes. Precatur oratio illa divinam clementiam, ut
euncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata
defuncto, eumque in luce stiat, & regione vivorum,
in sinibus Abrahæ, Isaac, & Jacob, in loco unde
effugit dolor, tristitia, & gemitus*. Hæc Dionysius
Areopagita. Ex cuius verbis satis constat tempore Apostolorum
fuisse servatum hunc modum orandi pro defunctis.
Post hæc illustrium virorum testimonia, ut finem huic
contentioni imponam, multa diveriorum Conciliorum
decreta in medium producam. Concilium Cartaginense
quartum, cap. 95. tale statuit decretum: *Qui oblationes
defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate
reddunt, tamquam egentium necatores execrantur*.
Hæc ibi. Concilium Valense capite quarto suorum
decretorum ita definit: *Qui oblationes defunctorum retinent,
& Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt
ab Ecclesia abijciendi, quia usque ad inaniem fidei
pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem,
quia & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine,
& pauperes consolati alimonie & necessaria sustentatione
fraudentur*. Hi enim tales quasi egentium necatores,
nec credentes iudicium Dei habendi sunt. Unde & quidam
patrum hoc scriptis suis inseruit congruente sententia,
quæ ait: *Amico quippiam rapere furtum est, & Ecclesiam
fraudare sacrilegium*. Hæc Concilium Valense. Et
Concilium Agathense, cap. 4. idem sub eisdem fere
verbis definit. Concilium Toletanum tertium, cap. 22.
hanc ponit definitionem: *Qui divina vocatione ab hac
vita recedunt, cum Plamis tantummodo & psallentium
vocius debere ad sepulchra deferri precipimus*. Nam
funeris precamen quod vulgo defunctis cantari solet,
omnino prohibemus. Sufficiat autem quod in spe
resurrectionis Christianorum corporibus famulatus divi-
num

mo enim illi dixit: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, & reliqua deinceps. Præterea multa alia sunt tentationum genera, quibus nos à dæmone tentari sacra docet scriptura. Nam aliquando (ut Paulus Apostolus ait 2. Cor. 11.) *transfiguratur se in Angelum lucis*, quoniam frequenter multos tentat Sathanas offendens se illis quasi Angelum lucis, ut facilius illos decipere valeat. Unde Apostoli in navi perterriti, putabant phantasma esse. (Matth. 15.) Et Petrus Apostolus dicenti Domino: *Nolite timere, ego sum*: non facile credens, ait: *Si tu es, iube me venire ad te super aquas*. Ut si firmiter posuisset pedem super aquas, sciret verum esse quod non erat phantasma quod apparebat. At nullus sane mentis dicit talem dæmonis transfigurationem quæ se in Angelum lucis transfiguratur, fieri contracta herbarum aut lapidum. Rursum, aliqua sunt spiritualia peccata, quæ nullam habent cum carne vicinitatem, & propterea ab illa minime oriri possunt, quæ Paulus vocat *spiritualia nequitia in caelestibus*. (Ephes. 5.) Nullus autem est adeo demens, ut dicat tentationem quæ ad huiusmodi peccata sollicitat, fieri contracta lapidum aut herbarum: quoniam cum hæ res sint corporæ, nullam habent potestatem movendi spiritum, nisi quatenus cognoscantur & amantur. Possunt etiam dæmones movere phantasmata hominum, ita ut quod illis magis placuerit offerant imaginationi, & sic hominem tentent: quoniam quod magis movet phantasiam, illud magis urget ut cognoscatur ab intellectu, quod autem magis cognoscitur, illud vehementius voluntariam sollicitat ad amorem: præsertim si concomitetur carnis delectatio. Et de hac re dicta sufficiant. Nec vidi aliquem qui adversus hanc hæresim disputaverit: quoniam B. Bernardus sola illius relatione fuit contentus.

TERRA.

De hæc re fuit una hæresis, quæ docuit terram esse Deo coæternam. Huius hæresis auctor dicitur Felix quidam Manichæus, cum quo beatus Augustinus publice disputavit. Et de actis cum hoc Felice sunt duo libri æditi, qui inter opera beati Augustini circumscribuntur: & in primo illorum lib. de hæc hæresis fit mentione. Adversus hanc hæresim non est operosum disputare: cum tam expressa sint scripturæ sacræ testimonia. Nam in libro Geneseos (cap. 1.) dicitur: *In principio creavit Deus caelum & terram*. Si Deus in principio terram creavit, non est ergo terra æterna: quia quod creatur, aliquando habuit initium. Et in lib. Psal. Propheta: *Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti*. Et beatus Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos cap. 3. eadem Propheta verba repetit. Præterea apud Esaiam Prophetam cap. 45. Deus ait: *Ego feci terram, & hominem super eam creavi*. Et iterum: *Hæc dicit Dominus creans caelos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plasmas ejus. Non in vacuum creavit eam, sed ut habitaret, formavit eam*. Si Deus terram fecit, & illam formavit, fieri non potest ut sit Deo coæterna: quoniam quod factum est, aliquando habuit initium. Denique adversus hanc hæresim extat Concilii generalis definitio. Nam Concilium Lateranense sub Innocentio 3. celebratum, de tribus in Deo personis loquens, hæc ait: *Unum universorum principium, creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde huma-*

nam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Hæc Concilium. Quæ verba habentur in volumine Decretalium cap. 1. De summa Trinitate & fide Catholica. In quibus verbis illud annotandum est quod ait: *Ab initio temporis omnia creata esse spiritualia & corporalia*. Si omnes creaturæ sunt ab initio temporis: ergo etiam terra. Si terra est ab initio temporis, non est possibile ut simul sit æterna. Adversus tam apertam hæresim hæc pauca sufficiunt.

TIMOR DEI.

Unus ex Lutheri erroribus pessiferis est, quo docet timorem Dei servilem esse proorsus inutilem, immo etiam noxium: quoniam dicit illum esse dignum pœna. De hoc errore supra satis disputavimus in titulo de contritione. Quoniam Lutherus damnat eam peccatorum contritionem, quæ ex odio gehennæ oritur: ideo opus fuit tunc de timore servili disputare. Quo loco ex sacræ scripturæ testimoniis ostendimus timorem Dei servilem esse bonum, & esse numerandum inter dona Spiritus Sancti: quamvis nullus per illum mereatur, nisi sit simul cum charitate: quoniam nullum est opus quod sit præmio dignum, nisi quod ex radice charitatis oritur. Verum & si loco illo dictum sit quod adhuc errorem revincendum sufficit, non tamen erit inutile hoc loco aliquid superaddere quo veritas magis eluceat: præsertim cum hic sit titulus aprior, sub quo hæc disputatio fieri debeat. Et primo ostendamus unde habeat ortum iste timor servilis & à quibus causis generetur, ut ostensa bonitate arboris clarius pateat bonitas fructus: quoniam, juxta Salvatoris nostri sententiam, (Matth. 7.) *arbor bona fructus bonus facit*. Et certe, quantum ego conjicere possum, timor Dei servilis, cum videlicet quis propter penam quam timet, abstinere ab offensa Dei, duas habet origines in ipomet peccatore. Una est amor sui, & sui commodi: unde provenit, ut fugiat incommoda. Ideo enim peccator odit & timet pœnam, quia illa auferit quietem, pacem, delectationem, & integritatem patientis. Altera origo est consideratio omnipotentis divinis, & ejus sapientis, & justitiae. Considerat enim Deum adeo potentem, quod nullus illi resistere, aut manus illius evadere potest: tam sapientem, quod nihil illum latere potest: tam justum, ut nullius aut precibus aut muneribus possit à justitia flecti, ut malefactorem non puniat. Cum ergo peccator odit pœnam, ad quam infligendam certo credit Deum esse potentem, sapientem & justum, abstinere ab opere peccati, ne talem pœnam patiatur, sic tamen, ut in eo peccandi voluntas etiam auferatur. Talis inquam fuga peccati ad evitandum pœnam, est timor servilis, quem dicimus esse bonum & utilem, nisi voluntas peccati (ut in titulo De contritione expressimus) sit illi admixta. Hoc enim satis aperte ostendit parabola illa de Rege volente ponere rationem cum servis suis, (Matth. 18.) quam cum incepisset ponere, oblatum est ei unus debens decem millia talentorum: qui cum non esset solvendo, justus est vendi, id est, (ut Augustinus interpretatur) tormentis subijci, cum uxore & liberis, hoc est, cum cupiditate & operibus. Quam sententiam cum audisset servus debitor, horrore & odio pœnæ, cui erat jam destinatus, pœces ad dominum fudit, illi humiliter supplicans ut dilationem solutionis illi indulgeret. Nec tamen passus est repulsam, sed dilationem petens, suscepit remissionem: quæ rata permanisset, nisi ipse postmodum meruisset ne talis indulgentia casaretur, propter inhumana-

nitatem quam erga conservum suum exercuit. Ecce istum servum, qui non aliter ad dominum suum converteritur quam ex odio pœnæ cui viderat se adjudicatum: & sic conversus exauditur. At si ille timor servilis esset peccatum (ut Lutherus ait) conversio ex illo orta etiam esset mala: & si illa mala fuisset, nunquam fuisset exaudita. Præterea Salvator noster suadens nobis pacem & concordiam, per hunc timorem nos ad illam inducit. Sic enim ait: (Matth. 5.) *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*. Rursum: *Sapiens consultat parentibus ut filios suos corrigere & flagellare non desinat, ut vel sic filii discant abstinere à malo. Qui parit virga (inquit ille Prov. 13.) odit filium suum: percuties eum virga, & liberabis animam ejus à morte*. Et iterum: (Prov. 22.) *Stultitia alligata est in corde pueri: virga discipline effugabit eam*. Quid ergo de charitate patris nostri, qui in caelis est, erga filios suos censetis? Nonne ille etiam puniet & flagellabit filios suos, ut vel sic discant declinare à malo? Nonne castigat eos quos amat? Amat autem filios, omnem ergo filium quem diligit, corripit. Sed quare corripit? Certe non ob aliam causam nisi propter disciplinam, ut vicelicet discant declinare à malo, & facere bonum. Hoc autem ex ipsis Pauli verbis (Heb. 12.) aperte magis colligitur. Nam postquam dixerat Deum flagellare omnem filium quem recipit, factum subjungit, dicens: *In disciplina perseverate. Tamquam filiis nobis offert se Deus. Quis enim filium quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, curj participes facti sunt omnes, ergo adulterini & non filii estis*. Vides jam ob quam causam Deus corripit & flagellet filios suos, quia propter solam disciplinam. Sunt enim aliqui adeo indisciplinati, ut benignitate & misericordia nunquam mollescant, immo duriores & peiores fiant. Hos flagellare oportet, ut flagellati discant: quoniam, ut ait quidam Propheta, (Epsal. 28.) *veraxio dabit intellectum*. At si timor servilis malus esset, aut operatio ab illo timore procedens esset mala: Deus nunquam flagellis cingeret aliquem hac intentione, ut ex odio flagelli converteretur ad bene operandum. Deinde Propheta Regius, (Psal. 118.) ait: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*. David testatur se didicisse justificationes Dei, propterea quod fuerit à Deo humiliatus: & propterea reddit gratias Deo, quia humiliaverit illum: eo quod ex tali humiliatione magnum illi eveniret bonum, videlicet discere Dei justificationes. Non est ergo opus aliquod censendum malum hæc sola ratione quod à timore servili procedit. Et si opus ab illo procedens non est hac ratione malum dicendum, nec ipse timor erit de malitia notandus: quoniam juxta Salvatoris sententiam, (Matth. 7.) *arbor mala non potest bonos fructus facere*. Pro hac re sunt plura sanctorum virorum testimonia: quorum aliqua in medium producere non erit inutile. Beatus Bernardus in libro De precepto & dispensatione, sic ait: *Bonus quidem obedientiæ gradus est, si juxta magistri nostri sententiam propter metum gehennæ, sive propter professionem sanctam quam professus est quispiam, obedierit, melior tamen cum ex Dei amore obeditur*. Hæc Bernardus. Richardus de Sancto Victore libro primo De præparatione animi ad contemplantionem, cap. 8. dicit timorem gehennæ esse initium sapientiæ, & cap. sequente, videlicet 9. de eodem timore loquens, sic ait: *Quantum quis vehementius metuit pœnam quam meruit, tanto*

acerbius plangit culpam quam fecit. Sed sciendum quia quacumque hora peccator conversus fuerit, & ingenuerit, salvus erit, secundum illud: (Psal. 50.) *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Quid tibi videtur? Nonne merito talis filius Simson, id est, exauditus vocatur? Qui enim vere pœnitent, qui veraciter dolet, absque dubio & absque mora indulgentiam accipiet. Oratio quæ ex corde contrito & humiliato profertur, citius exauditur. Humiliato per timorem, contrito per dolorem. Hæc Richardus. Quibus verbis satis aperte docet timorem servilem esse bonum: quoniam asserit illum esse primum gradum ad sapientiam, ejusque primam prolem dicit esse dolorem de peccato commisso, aut contritionem, quam fateretur mereri exauditionem, tantum abest ut illam damnare velit. Beatus Augustinus cum hoc plurius in locis asserat, expressius tamen super primam Joannis Apostoli epistolam, tractatu nono, ubi exponens illum locum Joannis: *Timor non est in charitate, sic ait: Quid ergo dicemus de illo qui cepit timere diem iudicii? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret: perfecta enim charitas faceret perfectam justitiam & non haberet quare timeret, immo haberet quare desideraret ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei: ergo timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta (inquit) charitas servas mittit timorem*. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem ceperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intrat charitas. Sicut videmus per se tam intrudui linum, quando aliquid fuerit: sicut prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Hucusque Augustinus. Ex cuius verbis constat quod & si timor servilis non stet cum perfecta charitate, stat tamen cum charitate inchoata, & via est ad charitatem perfectam. Si timor servilis (ut Lutherus ait) peccatum esset, nunquam pararet locum charitati. Parat autem locum charitati: non est ergo peccatum. Beatus Basilus in expositione Psalmi tricésimi tertii sic ait: *Timor enim Salvatoris qui ad sanctitatem deducit, & animæ divinitus instans est, qualis existat, si cupis audire, attende. Quando forte te ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile mandatum, & Christi iudicium cogita, in quo iudex in alto sedens tribunali, circumfusos undique populos coram habebit, astabique omnis creatura ejus adventum gloriosum exhorrens, rationem gestorum redditura. Deinde qui multa in vita admiserunt, timidi ac tristes apparebant, viciniam aspicientes ignem, sævas flammæ respirantes, ob malorum præteritorum impoenitentiam ingemiscentes, ob ingentem dolorem & odium ad omnium ne commens noctis aspectibus equiparandi. Deinde balthrum & tenebras inaccessas, ignemque obcurum, causticas alioqui vires habentem, conspicientes. Inde vermium serpenitumque innumerabilium genus venens, nosum ac carnivorum nunquam saturum, intolerabiles dolores moribus infligens. Postremo omnium durissimam pœnam, probrum illud & verecundiam sempiternam. Hæc tu timebis, hoc demum timore institutus, quodam quasi fræno tuam cohibebis à pravis concupiscentiis animam. Talem itaque Domini timorem nos*

rum impeditur canticorum. Hæc Concilium Toletanum 3. Denique Concilium Florentinum, quod pro unione Græcorum sub Eugenio 4. celebratum est, ita de hac re definit. Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis & omisis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatoris post mortem purgari, & ut à pœnis hujusmodi releven-

tur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & elemosinas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Hæc Concilium Florentinum. Possent adhuc plura citare Conciliorum decreta, sed hæc sunt satis ad convincendos hæreticos.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

F. ALFONSI DE CASTRO

ZAMOREN. MINORITÆ.

ADVERSUS HÆRESES.

LIBER DECIMUSQUARTUS.

TEMPLUM.



Abuchodonosor Rex Babylonis, qui demonis figuram gerit, cum Hierosolymam invasit, non fuit contentus templum Domini spoliare, & omnia vasa illius pretiosa diripere, sed & ipsum templum fœdavit, conspurcavit, immo magna ex parte destruxit, quoniam columnæ templi, & bases, & capitellum, multaque alia ab eo inde sublata sunt. (4. Reg. 25.) Ad eundem modum fecit Antiochus Rex, qui violenta manu templum Domini invadens, postquam sustulit ab eo altare aureum, candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat, & comminuit omnia: non fuit contentus hæc omnia sustulisse, sed quo nocentissimum se ostenderet synagogæ hostem, prohibuit holocausta & sacrificia & placationes fieri in templo Dei. (1. Mach. 1.) Eodem modo ille antiquus humani generis hostis, omni qua potuit via facere tentavit. Nam (ut supra narravimus) ministros suos, quosdam videlicet hæreticos submisit, qui vasa & alia templi ornamenta, hoc est sacramenta, & omnia sacramentalia, omneque caeremonias, & ritus ab Ecclesia auferrent, dicentes ea omnia esse profusa inutilia, merasque nugas. Ecce nunc adfunt alii ministri ejus, qui templum evertant, prohibeantque, si poterint, sacrificia & orationes in templo fieri, dicentes templa Dei nullius esse utilitatis, neque aliquo pacto prodesse in Ecclesia Dei. Hujus hæresis primus auctor fuit Eustachius quidam de quo in Concilio Gangrensi fit mentio. Hic Basilicas Martyrum, & templa sub nomine divorum Deo dedicata contemnebat, & omnes qui ad illa conveniebant ibidem aut sacrificaturi, aut oraturi, reprehendebat. Hunc autem errorem jam diu sepultum, post multa sæcula suscitavit Uvaldenfes, qui ut illustriores hæretici mundo apparerent, Eustachii errorem multo fusius extenderunt, quoniam ille sola templa quæ in divorum nomine sunt consecrata, irridebat: hi autem omni templo detraxerunt,

dicentes, templum Dei late patentis ipsum mundum esse, & coartare majestatem ejus, qui Ecclesias, monasteria, oratoriaque construunt, tamquam propitia in eis divina majestas inveniatur. Hoc enim illis impingit Aeneas Sylvius in libro de origine Bohemorum, quamquam Guido nihil tale illis tribuit, etiam cum Uvaldenfium errores recenseret. Post Uvaldenfes fuerunt alii hæretici dicti Pseudapostoli, qui adhuc majori cum injuria de templo Dei loquuti sunt, dicentes, Ecclesiam consecratam non plus valere ad orandum, quam stabulum porcorum. Eundem errorem tutati sunt magis vi & armis quam scripturæ testimoniis quidam Bohemi hæretici Thaboritæ appellati, litorum dux & princeps fuit Zicha quidem nobilis genere, erroribus Joannis Hufi infectus, qui copiam perditorum hominum congregans, Ecclesias invasit, spoliavit, everitque. Monasteria destruxit, monachosque fugavit, aliaque similia facinora perpetravit. Ut autem tutus in facinore esset, & alia cum vellet securus posset perficere, locum natura munivit elegit: hunc mœnibus cinxit, & ut quisque ex militibus tentoria fixerat, ita ædificare sibi domos imperavit. Huic loco Thabor indidit nomen, & mites suos fratres Thaboritas appellavit, tamquam cum tribus Apostolis Salvatoris Christi transfigurationem in monte Thabor viderent, indeque suas opiniones mutuari essent, quas fidei veritates appellabant. Hi ergo omnes præfati hæretici concorditer sentientes, templum Dei contemnuerunt, quamvis unus plus alio insanies magis illud vilipendat. Ad hunc autem errorem revincendum factis est, quod Salomon Rex ex præcepto Dei ædificavit templum Hierosolymæ. (1. Par. 28.) Nam cum David prius illud ædificare cogitasset, rejectus est à Domino velut indignus ad id minus obeundum, eo quod vir bellator fuerat, & sanguinem fuderat: & hoc unus ædificandi templum transfudit in Salomonem. Si templum Dei nullius esset utilitatis, numquam tantum in ejus constructione laborasset Salomon, nec tantam auri & argenti materiam in eo expendisset, nec Dominus Deus templum illud tot tantisque privilegiis decorasset, qualia describuntur libro

libro secundo Paralipomenon, cap. 7. Præterea si Dei templum non magis valerit (ut impii Pseudapostoli asserunt) quam stabulum porcorum, numquam Dominus eiecisset vendentes & ementes ab illo. (Math. 21.) Nam cum in foro vendere & emere liceret, non autem in templo, satis aperte convincitur templum Dei esse majori veneratione dignum quam forum, ne dicam quam stabulum. Rursus, Dominus noster Jesus Christus ejiciens ementes & vendentes de templo ad operis confirmationem citavit pro se testimonium Eliaie cap. 56. dicentis: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ex quibus verbis satis aperte convincitur templum Dei esse locum domus magis orationi destinatum quam quicumque alius. Accedit ad hæc, quod usus templorum non est recens in Ecclesia, sed ab ipsis Apostolis introductus. Nam Eusebius Cæsariensis libro secundo historię Ecclesiasticæ, capite 17. narrans ea quæ Philo Judæus de moribus Christianorum scriperat, sic ait: Post hæc descriptis eorum habitaculis, ut se habeat singulorum qualitas & situs, etiam de Ecclesiis quæ apud eos sunt, ita dicit: Est autem (inquit) in singulis locis consecrata orationi domus, quæ *semmion*, vel *monastirion* dicitur. *Semnon* autem in nostra lingua significare potest honestorum conventiculum, in quo secedentes, inquit, honestæ & castæ vitæ mysteria celebrant. Hæc Eusebius Philonem scripsisse narrat. Hic autem Philo (eodem Eusebio teste) fuit tempore Claudii Imperatoris, ad quem à suis legatus est missus, & Romam hac de causa venit, ubi beatum Petrum vidit. Patet ergo fuisse tempore Apostolorum loca aliqua orationi consecrata, quæ nos Ecclesias appellamus. Demum Concilium Gangrense, cap. 5. fuorum Decretorum ita definit: Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes quæ in ea fiunt, anathema sit. Hæc ibi. Nec opus est adversus tam apertum errorem pluribus agere.

TENTATIO.

INTER multos errores quos beatus Bernardus epistola 190. tribuit Petro Abailardo, unus est quo illum sentire ait, demonum in nobis suggestiones contactu fieri lapidum & herbarum, prout illorum sagax malitia novit harum rerum vires diversas diversis incitandis & incendendis vitis convenire. Et certe si Petrus Abailardus non in universum de omni tentatione demonis loquatur, sed de aliqua, ita ut non omnes, sed aliquos demonum tentationes in nobis virtute lapidum & herbarum fiant, ego non putarem hæresim, sed veram doctrinam. Nam certum est multas animarum tentationes à carne propria oriri, quoniam Paulus ait: (Galat. 5.) *Caro concupiscit adversus spiritum.* Et talis carnis concupiscentia, quædam tentatio est, qua anima ad peccatum impellitur, sicut Jacobus Apostolus cap. 1. ait: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quoniam nemo est qui carnis impulsione non agitur. Et juxta variam carnis complexionem, variæ sunt hominum à propriis corporibus tentationes. Et demon qui uniuscujusque corporis qualitates & complexiones optime novit, convenientia adhibet incentiva, quibus caro juxta suam qualitatem magis possit incendi. Unde beatus Gregorius exponens illud Job cap. 38. *Dividitur æstus super terram*, hæc ait: Prius enim complexionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque letis, alius timidus moribus, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus adversarius facile capiat, vic-

Tom. I.

nas conspersionibus deceptiones parat. Quia enim lætitiæ voluptas juxta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in nam facile labitur, tristitia poculum discordiæ porrigit. Quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intonat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit blandis favoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitis convenientibus insidiatur. Hæc Gregorius. Cum ergo demon varie hominem tentet juxta variam (quam optime novit) illius complexionem: cogimur certe fateri illum posse hominem tentare per lapidum aut herbarum contactum. Multæ enim sunt lapidum & herbarum virtutes, quæ hominum complexionibus conveniunt. De Smaragdo dicitur & Topazione, quod libidinis ardores mitigent. Cur etiam non erit alius virtutis contrariæ lapis, qui ardores hominum augeat? Pyropum ajunt cordis mæstitiam profusa expellere: propter quod possibile etiam censeo alium esse lapidem, qui contra hunc virtute sua pugnet, ita ut cor hominis mœstitia absorbeat. Nullus autem dubitat demonem hæc omnia optime nosse: quapropter nec ego etiam dubito, demonem per illarum rerum applicationem & contactum posse aliquando homines tentare, si à Deo permittatur. Præterea multi non contemnendæ auctoritatis theologi fatentur demonum afflictiones & vexationes posse per rerum sensibilibus applicationem mitigari, sicut de Saule legimus, qui cum à demone vexaretur, Davide citharam pulsante levius ferebat. Hoc concedit Nicolaus de Lyra interpretans illum locum in 1. Reg. lib. c. 16. Idem etiam fatetur Richardus de Media Villa, quodlibeto 3. quæst. 8. qui tam parvam dicit posse contingere demonis afflictionem, tantamque esse lapidis aut herbæ virtutem, ut non solum mitiget, sed profusa tollat demonis afflictionem. Si lapides & herbæ possunt demonis afflictionem impedire, quid obstat ut alii sint contrariæ virtutis lapides aut herbæ, qui demonem in affligendis hominibus juvare possint? Non est ergo contra Catholicam fidem putare, quod demon possit per contactum lapidum & herbarum homines ad peccatum impellere. Et si hoc solum sensit Petrus Abailardus, non erat hac ratione hæresis notandus. Verum quia ego credo B. Bernardum virum doctum perinde ac sanctum, qui non gratis & immerito Petrum Abailardum de hæresi hoc loco notasset, ideo puto illum de omni demonis tentatione fuisse locutum; ita ut nulla sit demonis in nobis tentatio, quæ hoc modo non fiat contactu lapidum aut herbarum. Et si ita sensit Petrus Abailardus, aperitissime erravit. Nam prima demonis tentatio non fuit mediantibus lapidibus & herbis, sed serpente medio, cujus figuram assumpsit, ut per os illius verba formaret, quibus Evam primam omnium matrem alloquens, persuaderet prohibiti cibi esum. (Gen. 3.) Ut autem Adam teneret, ipsam Evam adhibuit, non lapides, non herbas. Cognoverat quippe uxorem ad hoc opus potentiorum esse omnibus lapidibus & herbis. Et cum Satan appetit tentare Job, & ad hoc licentiam à Deo petit, non postulat sibi permitti lapides aut herbas applicare: sed vallum, quo Deus universam illius substantiam circumcinxerat, auferre: ut libere posset illum per omnis substantiæ devastationem tentare. (Job 1.) Cum autem sic parum se proficere videret, licentiam postulat personam illius tangendi & percutiendi. Et percussit illum ulcere pessimo, sperans illum adversis frangere posse. Deinde, cum Salvatorem nostrum tentavit in deserto, non applicatione herbarum aut lapidum tentavit, sed locutione, ut Evangelica narrat historia. (Math. 4.) Pri-

Dd4444

mo

„ pater ille fe recipere docet, non quidem eos qui audire „ negligunt, & ab eo procul absunt, in peccata facile „ ruentes, sed qui de salute propria solliciti, ad ejus pro- „ perant doctrinam: non inquam hospites & peregrinos à „ fide utriusque testamenti, sed qui per baptismum & „ adoptionem Dei sunt facti domestici. Propterea, in- „ quit, venite, hoc est, per beneficia mihi vos reddite „ propinquos: filii lucis estote, filii per generationem „ dignati. Audite vos qui aures cordis patentes habetis, „ timorem Domini docebo vos, hunc quem paulo ante „ vobis descripsi. Hucusque Basiliius. Quibus verbis „ nil potuit expressius adversus Lutherum dici. Nam cum „ de timore servili satis aperte loquatur, dicit illum nos ad „ sanctitatem deducere, & esse divinitus inspiratum, & „ quem pater cœlestis nos docet. Cum ergo tot & tam aperta „ produxerimus adversus hunc errorem testimonia, non „ est opus ut amplius de illo disputemus, præsertim cum „ in titulo De contritione alia multa dicta sint.

Secunda hæresis de timore Dei est, quam docuit Pe- „ trus Abailardus, dicens timorem Domini non esse, in fu- „ turo sæculo. Hanc enim inter alios errores illi impingit „ beatus Bernardus epistola 190. Et certe miror quod ho- „ mo alioqui doctus in tantum tamque apertum errorem „ lapsus fuerit: cum ad illum revincendum tam manifestum „ sit testimonium Prophetæ, dicentis: *Timor Domini „ sanctus permanet in sæculum sæculi.* Quæ verba expo- „ nis Augustinus super Psalmum 118. sic ait: „ Timor Do- „ mini non servilis fed castus, gratis amans, non puniti „ timens ab eo quem tremis, sed separari ab eo quem di- „ ligis. Ille est timor castus, non quem consummata cha- „ ritas foras mittit, sed permanens in sæculum sæculi. „ Hæc Augustinus. Et Salvianus Massiliensis Episcopus „ libro tertio Anticimonon prope finem, sic ait: Quomodo „ perfecta charitas foras mittit timorem, si timor Domini „ castus permanet in sæculum sæculi? Est ergo timor ser- „ vilis, est & timor castus. Timor servilis est ne patiaris „ pœnam, timor castus ne amittas justitiam. Ergo quod „ Apostolus dixit, de servili timore egit. Quod autem „ Psalmista loquitur, de casto illo timore quo in æternum „ Domino copulabimur, sentiendum est. Hæc Salvianus. „ Præterea, de Angelis in cœlo manentibus beatus Job cap. „ 26. loquens ait: *Columnæ cali contremiscunt & pavent ad „ nutum ejus.* Quod autem Angelos columnarum nomine „ appellet, testatur beatus Hieronymus, qui in commen- „ tariis super librum Job, hunc locum interpretans, ait: „ Stabilitatem ergo solummodo permanentem in natura An- „ gelorum columnarum nomine sentiamus, quia non so- „ lum immobiliter in sanctitate perseverantes sunt, sed „ etiam æternæ beatitudinis gloria speciosi. Nam de futura „ immobilitate hominum ita ait filius Dei: (Apoc. 3.) *Qui „ vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Hæc „ Hieronymus, vel quicumque est illorum commentario- „ rum auctor. Nam ex eo constat non esse Hieronymi, quia „ idem Hieronymus citatur in eis. Et beatus Gregorius in „ moralibus postquam illa verba Job interpretatus est de „ justis hominibus, ad Angelos conversus, dicit: Quod „ (sicut superius diximus) de sanctis quoque Angelis nil „ obstat intelligi: quia ipse quoque virtutes cœlestium quæ „ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contempla- „ tione contremiscunt. Sed idem tremor ne eisdem pœnalis „ sit, non timoris est, sed admirationis. Hæc Gregorius. Et „ certe quantum ego postum conjicere, ex hoc fonte pro- „ cessit error Petri Abailardi quo putavit non esse aliquem „ timorem qui non sit pœnalis. Advertere enim debuisset

esse aliquem timorem sine pœna, qui dicitur timor reve- „ rentialis, vel, ut verius dicam, nihil est aliud quam ipsa „ reverentia. Nam & timoris nomine ipsa reverentia appel- „ latur sæpissime in sacris litteris. In Evangelio Lucae cap. „ 7. legimus quod postquam Dominus suscitavit adolefcentem „ filium viduæ, accepit omnes timor, & magnifica- „ bant Deum. Quo loco timor reverentiam designat. Om- „ nes enim qui astabant, viso tanto miraculo reveriti sunt „ Deum, eo quod talem Prophetam misisset in mundum, „ qui tam miraculosa opera faceret. Hoc autem ex iis quæ „ sequuntur, facile est conjicere. Nam postquam dixit ti- „ morem occupasse omnium animos, addidit, & magnifi- „ cabant Deum. Magnificare autem Deum magis est effec- „ tus reverentiæ quam pœnalis timoris. Similiter Paulus „ Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 13. „ ait: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: „ cui vœtigal, vœtigal: cui timorem, timorem: cui honorem, „ honorem.* Quæ verba interpretans Theophylactus, sic ait: „ Nec solum pecunias debere illis affirmat, quin & timo- „ rem, hoc est pudorem & verecundiam, & honoris pluri- „ mum principibus exhibendum: ita ut cui debeatur hic „ honos, honos reddatur. Timor autem duplex est. Altero „ noxii ex malorum facinorum conscientia corripuntur: al- „ terum vicissitudine quadam impertinentur qui mutuo de- „ tinentur amore, cujusmodi timor honor est quidam præ- „ cipiuis, qualis ille videtur, cum inquit: (Psal. 33.) *Ni- „ hil deest timentibus eum.* Et, (Psal. 118.) *Timor Domini „ permanet in sæculum sæculi.* Timor autem hoc loco veneratio- „ nem quamdam præcedit. Hæc Theophylactus. Aliquis „ est ergo timor omni carens pœna, & hunc dicimus inesse „ beatis. Quod si bene intellexisset Petrus Abailardus, num- „ quam negasset timorem Domini esse in futuro sæculo.

T Y R A N N U S.

DE hac re fuit quædam hæresis docens, quemlibet „ tyrannum posse licite & meritorie occidi per quem- „ cumque vassallum suum etiam per clanculares insidias, „ non obstante quocumque federe inter eos inito, etiam „ per juramentum confirmato, & hoc absque sententia aut „ mandato judicis cujuscumque. Hujus hæresis auctor fuit „ (ut testatur Joannes Gerson) quidam Joannes parvus. Ad- „ versus hunc errorem multæ patent viæ per quas illum „ expugnare valeamus. Primo ex definitione tyranni. Ty- „ rannus siquidem, juxta eam vocis significationem qua nunc „ omnes utuntur, ille dicitur, qui non jure dominatur in „ republica, aut ultra justas domini sui leges potestatem „ suam exercet. Quapropter nomen tyranni non solum con- „ venit regi aut alteri principi, sed cuicumque alteri ali- „ quod dominium exercenti, si illud tale dominium illi non „ convenit: aut si convenit, ad plura se extendit quam „ permittat lex sui domini. Et ita Episcopus est tyrannus si „ per vim & violentiam tenet Episcopatum: aut si jure „ possidet, non tamen secundum jura regis & gubernat, „ sed exactiones ultra debitum extorquet, aut alia similia „ exercet quæ Episcopo non licent. Eodem modo Papa pos- „ set esse tyrannus. Ad eundem modum maritus potest dici „ tyrannus erga uxorem, si illam tamquam mancipium „ quoddam tractaverit. Si ergo quilibet tyrannus pos- „ set occidi à subdito suo, ex hoc sequeretur confusio totius „ justitiæ: quoniam tunc etiam uxor posset occidere „ maritum suum quum tyrannice in illam dominatur: pos- „ sent oves interficere suum pastorem, sive ille esset unus „ simplex parochus, sive Episcopus, sive Papa, si istorum ali-

aliquis tyrannice regetur: possent etiam filii interficere pa- „ rentem suum, si pater legem paternæ dominationis quo- „ quo pacto excederet. Et ita assertio illa viam aperit cui- „ libet subdito non solum ad inobedientiam, sed etiam ad „ inferendam necem suo superiori, quoniam posset cau- „ sari illum esse tyrannum. Hoc autem quum sit pernitiosum, „ non est nunc opus docere, cum sit ipsa luce clarius. Præ- „ terea, multo pejus est crimen hæreseos quam tyrannidis. „ Sed non licet cuilibet occidere hæreticum: ergo nec lice- „ bit etiam cuilibet occidere tyrannum. Secunda via op- „ pugnare possumus hanc pestiferam hæresim ex ratione „ insidiarum: quoniam etsi licitum esset tyrannum occide- „ re, non tamen per insidias & fraudes & deceptiones. „ Quamvis enim non teneamur hosti revelare veritatem om- „ nem, teneamur tamen numquam illi dicere mendacium: „ quoniam os quod mentitur, occidit animam. (Sap. 1.) Ideo „ Deus dedit locum refugii in quem posset tute confugere „ is, qui casu fornicum occiderat sine insidiis, De „ illo vero, qui per insidias occiderit, oppositam tulit „ legem, dicens: (Exod. 21.) *Si quis per insidiam „ occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo „ evelles eum, ut moriatur.* Tertia via patet qua eadem „ hæresis expugnetur ex ratione fœderis juramento fir- „ mati, quia non obstante tali juramento, assertio liciti- „ tum esse vassallo interficere tyrannum. Divinus Plal- „ tes ait: (Psalm. 5.) *Perdes omnes qui loquuntur menda- „ cium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* „ Si omnes qui loquuntur mendacium, Deus perdat, quid „ illum facturum censibus de iis qui pejerant? Numquid „ omnes mentientes perdens, salvabit pejerantes? Absit. „ Nam & perjurium mendacium est, & non qualecumque, „ sed juramento firmatum. Quod si quis dicat juramentum „ illud cum tyranno factum non obligare vassallum ad ejus „ observationem, obstant huic responsioni plura sacre scrip- „ turæ testimonia, quibus probatur pactum quocumque, „ aut fœdus etiam cum hostibus factum debere servari. Nam „ hæc sola de causa Jacob turbatus est & iratus contra Simeonem „ & Levi filios suos, quia violaverant pactum cum „ Sychimitis initum. (Gen. 34.) Et hæc de causa quum „ alios filios moriens benediceret, istis maledixit, inquiens: „ (Gen. 49.) *Simeon & Levi fratres iniquitatis bellan- „ tia. In consiliis eorum non veniat anima mea, & in cœtu „ illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt vi- „ rum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus „ furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. „ Dividam eos in Jacob, & disperdam eos in Israel.* Propter „ eandem etiam causam reprehenditur Sedechias Rex Juda, „ quia videlicet rebellavit contra Nabuchodonosor Regem „ Babylonis, cum tamen prius illi fecisset juramentum de „ fidelitate servanda. (2. Paral. 26.) B. Augustinus, lib. 1. de „ Civ. Dei, cap. 15. laudat Marcum Attilium Regulum Con- „ sulem Romanum, quia ne violaret fidem quam juramen- „ tum firmatum Carthaginensibus hostibus dederat, mortem „ elegit, eamque pati maluit, quam fidem hosti præstitam „ violare. Accedit ad hæc, quod si licet rumpere fœdera „ etiam juramento stabilita, via tunc aperiretur latissima ad „ omnem dissidentiam & omnem controversiam patens. „ Nullus enim jam fides alteri aliquid promittenti, quo- „ niam etsi promissa juramento confirmet, quisque juste „ metueret potest, ne postea contra juramentum faciat, cum „ id licite facere possit. Nullus etiam erit controversiæ finis, „ si nulla est obligatio juramenti, quoniam (ut ait Aposto- „ lus Heb. 6.) *omnis controversiæ finis est juramentum.* Alia „ adhuc patet via eaque apertissima, qua hæc pestifera hæ-

resis proferri possit, defectus videlicet potestatis in oc- „ cidente, ut aliquem juste occidere possit. Quamvis enim „ aliquis sit quantumlibet scelestus & criminofus, qui mille „ mereatur mortes, non potest tamen juste ab aliquo occidi, „ nisi ab habente potestatem & jurisdictionem. Scelestissimus „ homo fuit Cain, qui primus sanguinem humanum fu- „ dit, fratremque occidit: qui cum timeret, ne ob sua sce- „ lera occideretur à quolibet qui illum invenisset, dixit illi „ Deus: (Gen. 4.) *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occi- „ derit Cain, septuplum punietur.* Præterea, quemadmodum „ regula juris docet, sententia non à suo giudice lata, nulla „ est. Et Paulus Apostolus hunc & similes tyrannidas „ aperte reprehendit, dicens: *Quis es tu qui judicas servum „ alienum?* Posset enim ab illo subdito, qui occidit tyran- „ num non expectata sententia judicis superioris, justissime „ peti: in qua auctoritate hoc facis? Quis te constituit judi- „ cem super eum? Si potestatem occidendi habes, oportet „ ut illam habeas à Deo: quoniam nullus habet in aliquem „ potestatem, nisi illa sit desuper data. Omnis enim potestas „ à Domino Deo est. Ostende ergo ubi Deus dedit tibi „ hanc potestatem, ut absque judicis sententia possint occi- „ dere tyrannos. Nos autem facilius ostendemus hoc esse à „ Deo prohibitum. Nam per præceptum illud: *Non occides,* „ juxta omnium sacrorum Doctorem interpretationem, „ prohibetur illa hominis occisio quæ propria auctoritate & „ absque judicis sententia fit. Qui incipio Principe (inquit lex) „ bellum gerit, reus est læsæ majestatis. Rursum. Rex qui „ supremam habet auctoritatem, non potest citra juris or- „ dinem, aliquem non monitum, non vocatum, non con- „ victum interficere: multo ergo minus hoc poterit subdi- „ tus. At qui per insidias aliquem interficit, contra juris „ ordinem id facit: non ergo licet subdito per insidias in- „ terficere tyrannum. Deinde contra naturalem legem est „ quod in alicujus controversiæ definitione, aut decisione „ idem sit pars, judex, & testis, quoniam hoc soli Deo con- „ venit propter summam illius sapientiam & bonitatem. „ Cum autem subditus sine superioris judicis sententia ty- „ rannum occidit, tunc ipsemet est judex, pars opposita „ reus & testis. Multa sunt ergo propter quæ hæc pestifera „ assertio rejici meretur. Quapropter Concilium Constanti- „ ensis, sessione 15. hanc doctrinam velut fidei Catholice „ repugnantem damnavit, ita dicens: Præcipua sollicitudi- „ ne volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem er- „ rorum & hæresum in diversis mundi partibus invalescen- „ tium providere sicut tenetur, ad hoc collecta est. Nuper „ accepit quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bo- „ nis moribus multipliciter scandalosæ, reipublicæ statum „ & ordinem subvertere molientes dogmatizate sunt, in- „ ter quas hæc assertio delata est. Quilibet tyrannus potest „ debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum „ suum & subditum, etiam per clanculares insidias, & „ subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quo- „ cumque præstito juramento, seu confœderatione factis „ cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis „ cujuscumque. Adversus hunc errorem fatagens hæc sanc- „ ta Synodus insurgere, & ipsam funditus tollere, præha- „ bita deliberatione matura, declarat, decernit, definit, hu- „ jusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus: „ ipsamque tamquam scandalosam, & ad fraudes, deceptio- „ nes, mendacia, proditorias, perjuria vias dantem, re- „ probat, & condemnat. Declarat insuper, decernit, & de- „ finit quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam „ asserentes sunt hæretici, & tamquam tales juxta canonum „ sanctiones puniendi. Hucusque Concilium Constantiense.

Joannes Gerson testatur fuisse æditum in Concilio Constantiensi librum quemdam adversus hunc errorem. Sed fautor me illum non vidisse. Monere tamen volui lectorem, ut si forte illum invenire posse crederit, diligentiam apponet.

VERECUNDIA.

FUIT quædam hæresis docens de nulla re quæ nobis est à natura donata erubescendum esse. Hujus hæresis auctores fuerunt Turre Lupini, qui ob hanc sententiam more Cynicorum Philosophorum omnia verenda publicitus nudata gestabant, & in publico, velut jumenta, coibant. Et certe hanc hæresim natura ipsa redarguit, à qua instam habemus quædam rerum verecundiam. Quapropter partes illæ inferiores corporis humani per quas mares & femine in coitu commiscuntur, à verecundia & pudore sortite sunt nomen, ut verenda & pudenda dicantur. Præterea, sicut virtus parit honorem & inde gloriam: ita vitium parit vituperium, & inde verecundiam. At licet partes illæ inferiores corporis humani ex se non magis vitiosæ sint quam reliquæ corporis partes, tamen hoc habent, ut testimonium referant illius peccati quod primus homo per inobedientiam commisit. Nam cum Adam posthabito præcepto divino de pomo vitæ comedit, reciproca inobedientia punitus est, ita ut in suo corpore suorum membrorum pateret inobedientiam, quam in membris genitalibus statim expertus est. Hæc autem membrorum inobedientia, velut perpetua quædam punitio in memoriam pristini peccati in nobis omnibus remansit. Cum enim omnes reliquæ corporis partes ad nutum & imperium voluntatis nostræ moveantur & quiescant, sola membra genitalia nutui voluntatis repugnant, & obedire recusant. Si vis levare manum, levator illa. Si vis illum inclinari deorsum, inclinatur eadem: & ad eundem modum reliquæ omnes corporis partes obediunt voluntati. Sæpe tamen contingit ut membra genitalia repugnante voluntate erigantur, & eadem aliquando renitente deprimentur. Patimur ergo in partibus illis inobedientiam & rebellionem in testimonium illius inobedientie, quam primus parens noster adversus Deum exercuit. Si ergo de vitio quolibet juste erubescimus, oportet, ut de illis corporis partibus erubescamus, in quibus & punitio & testimonium pristini peccati hucusque remansit. Rursus, postquam Adam peccaverat peccatum suum cognoscens, volensque à facie Domini in paradiso ambulantis fugere, dixit Deo: (Gen. 3.) *Vocem tuam Domine audivi in paradiso, & timui, eo quod nudus essem.* Quo loco constat timorem capi pro verecundia, quod patere facile potest ex ea quam reddidit timoris causa. *Timui* (inquit) *eo quod nudus essem.* Inde enim erat timor, hoc est verecundia, quia in corpore suo nudo experiebatur jam sui corporis inobedientiam, quæ sui peccati erat testimonium. Hanc etiam Adæ & Evæ erubescuntiam testantur ea perizonata quæ illi fecerunt cum cognoverunt se nudos, ut illas inferiores corporis partes tegeant. (Ibidem 9.) Deinde, si de nulla re naturaliter data esset erubescendum, injuste reprehenditur Cham filius Noë, quod videns patrem inebriatum habentem verenda nudata, nuntiavit fratribus suis: immerito etiam alii fratres, videlicet Sem & Japhet, laudarentur, quia verenda patris operuerunt. At cum ob illud facinus fuerit Cham maledictus à patre, & alii filii, propterea quod patrem operuerunt, fuerint à patre benedicti, convinci-

tur merito ut aliqua sint de quibus erubescere debeamus, etiam si à natura sint nobis data. Nam ob hanc solam verecundiam causam Sem & Japhet videntes patrem nudum averterunt facies suas, ut verenda patris non viderent. (Erod. 39.) Adde quod pars vestis sacerdotalis, quæ juxta præceptum Domini vestiendus erat Sacerdos, cum intrabat in sancta erant femoralia in tegumentum earum partium, ex quibus nudatis maxima oritur verecundia. Abeant ergo effrontes Turre Lupini, & quos Deus tegit, ipsi denudare vereantur.

VINUM.

SEVERUS, à quo Severiani hæretici originem duxerunt, docuit non licere ulli pacto bibere vinum, eo quod fabulosa quadam vanitate (ut Augustinus ait) dicebat de Satana & terra germinasse vitem. Hunc errorem nullus ex his qui de hæresibus scripserunt (quos tamen vidisse licuit) tribuit alicui alteri quam huic Severo. Beatus tamen Hieronymus dicit hunc fuisse errorem Tatiani. Nam in Commentariis super Prophetam Amos, interpretans illum Prophetæ locum, cap. 1. *Propinabatis Nazaraei vinum, &c.* sic ait: „De hoc loco hæresim suam Tatianus, nus Eneeritatum princeps stuerit nititur, vinum astrens non bibendum, cum & lege præceptum sit ne Nazaraei bibant vinum, & nunc accusentur à Propheta, qui propincent Nazaraei vinum. Qui si litteram sequuntur, tur in omnibus, & Judaicas fabulas Ecclesis ingerunt Christi: ergo & comam nutrire debent & uvam passam, ac viridem non comedere, & super mare & patre mortuis non ingredi: & si forte hæc fecerint, & fuerint humana vel fragilitate, vel necessitate superati, rasant capita, & irriti sint omnes dies consecrationis & laboris eorum. Quod si hæc non faciunt, neque possunt, more Judaicorum capponum miscere aquam vino, umbras veritati; Evangelii gratie legis necessitatem, ebrietatem illam intelligant, qua curis secularibus inebriatur & obruitur animæ vigor, & illos Prophetas, mandare dicentes: Ne prophetetis, quo livore superati, si prohibent eruditos viros doctrinæ proferre sermonem, nem. Hucusque Hieronymus. Ex cuius verbis constat Tatianum etiam hanc docuisse hæresim. Augustinus tamen, aut Philaster, etiam cum errores Tatiani recenserent, numquam hujus hæresis meminit. Et certe (ut candide loquar) hæc hæresis non solum nocet animæ, sicut & quælibet alia, sed etiam nocet corpori: quoniam etiam vinum immodice sumptum multum nocet, moderate tamen potatum plurimas corpori præstat utilitates. Ideo Sapiens Ecclesiasticus, cap. 31. ait: *Exultatio animæ & corporis vinum moderate potatum. Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.* Præterea, si vinum malum esset ex sua natura, Salvator noster non vertisset aquam in vinum: (Joann. 2.) neque initium signorum illius fuisset vinum ex aqua factum. Et si non liceret bibere vinum, idem Salvator non præcepisset ministrantibus in convivio nuptiarum, ut ferrent vinum Architrachino. (Mat. 26.) Rursus, ipsemet Salvator cum Discipulis cœnans bibit vinum, & potandum dedit Discipulis suis: & vinum in sanguinem suum mutavit, eoque eodem modo facere docuit, dicens: (Luc. 22.) *Hoc facite in meam commemorationem.* Deinde Paulus Apostolus, Timotheo scribens, (1. Tim. 5.) consultat ut aquam non bibat, sed modico vino utatur propter stomachum suum, & frequentes ejus infirmitates. Nec opus est plura citare testimonia, cum hæ-

hæresis sit tam manifesta. Cæterum quod Severus docuit vinum non bibendum, quia malum, & ideo malum, quia dicebat de Satana & terra germinasse vitem: hoc non est opus nunc opugnare, quoniam jam supra in titulo De creatura, ostendimus omnes creaturas esse ex se bonas, easque omnes esse à Deo, & non ab aliquo alio principio.

VIRGINITAS.

JOVINIUS Monachus docuit virginitatem non esse apud Deum majoris meriti quam conjugium, sed pares dixit esse nuptias & virginitatem. Ob cuius doctrinam multæ virgines factæ provecctæ ætatis, post habito voto quod emiserant, nupsent. Ipse tamen Jovinianus, quamvis Monachatum deposuit, uxorem ducere noluit: non quia inde majus apud Deum meritum se habiturum sperabat, sed ne nuptiarum pateret mollestiam, se continere dicebat. Hunc errorem etiam impingit Helvidio Hieronymus. Quis autem istorum prius errorem hunc docuerit, mihi non est certum: hoc tamen constat, utrumque eorum fuisse Hieronymo coævum, & Hieronymum prius scripsisse adversus Helvidium, quam adversus Jovinianum: quoniam in 1. lib. contra Jovinianum meminit illius libri, quem adversus Helvidium scripserat. Sed uterlibet istorum prior altero hunc errorem docuerit, constat ex verbis Hieronymi nullum istorum fuisse primum hujus hæresis auctorem, quia hujus hæresis principatum tribuit Basilidæ. In secundo enim libro adversus Jovinianum, circa finem, sic ait Hieronymus: *Quadringenti fere anni sunt quo Christi prædicatio fulget in mundo, ex quo innumerabiles hæreses tunicam illius consciderunt. Univerfus pene error de Chaldæo & Syro & Græco sermone processerit. Basilides magister luxuriæ & turpissimum complexum, post tot annos ita in Jovinianum, quasi in Euphorbum transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis constat hanc hæresim à Basilide initium sumpsisse. Augustinus tamen, in libro de Hæresibus de hoc Basilide differens, nihil tale illi impingit. Philaster etiam Basilidis errores recensens, numquam hujus erroris meminit. Credamus ergo Hieronymo tamquam diligentissimo rerum inquisitori, præsertim cum alii non contradicant, sed taceant. Epiphanius tamen libro 1. contra hæreses, tomo 2. de Basilide differens, & omnes illius errores enarrans non dicit illum aquasse nuptias virginitati, sed dicit illum promiscuum coitum & liberum, aliaque nefandas libidinis species docuisse, prout Saturninus illius magister fecerat. Et forte propter hanc causam Hieronymus dixit Basilidem transformatum fuisse in Jovinianum, quamvis nihil ille de virginitate dixerit. Post istos hæc nostra ætate surrexit Martinus Lutherus, qui Hieronico jam diu destructam cum Dei maledictione reedificavit, multo pejorem illum faciens, quam olim sub Joviniano fuerat. Nam hic non est contentus nuptias æquare virginitati, prout Jovinianus fecerat: sed adeo virginitatem deicere conatus est, ut non sit verius illum dicere malam esse, & Dei præcepto contrariam. Ut autem omnibus dementia istius sit nota, verba illius citabo, quæ ille in libro de Votis Monasticis scripsit. Celibatus, inquit ille, virginitas aureolæ, nugæ sunt, & mera sathanica mendacia. Et in libro de Conjugali vita volens ostendere, esse impossibile servare virginitatem, hæc ait: *Sicut in potestate mea non est, quo mihi sim mas, ita minime situm in me est, ut sim sine muliere. Et aliqui-**

bus interpositis, subdit: *Crescite & multiplicamini*, non est præceptum, sed plusquam præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere: sed perinde necessarium est, & magis necessarium quam edere, & bibere, purgari, expuere, dormire, & vigilare. Hæc Lutherus. Ut autem hanc suam turpem & impudicam doctrinam melius toti populo persuaderet, non fuit contentus verbo & scriptura illam docere: sed eam opere confirmavit, faciens id quod aliis prædicabat. Nam cum Monachus esset ex familia Eremitarum Sancti Augustini, velut canis impudicus ad vomitum rediens, omnem Monachatum rejectit, & uxorem duxit, quam non nisi monialem esse voluit, ut similes haberent labra lactucas. Hæc doctrina, cum sit carni amicissima placuit illis omnibus, qui carni potius quam Deo obediunt, & ob hanc causam maxima pars Monachorum & Monialium Germaniæ, rejectit Monachatum, & matrimonium suscepit. Et hæc fuit una ex præcipuis causis unde suscepit vires hæresis Lutherana, quia videlicet ea semper docuit quæ populo placent, & ideo magna pars populi Lutherum, tamquam Dei Prophetam venerata est, & illius doctrinam tamquam Dei oraculum suscepit. Nam major semper est in omni populo stultorum quam sapientium numerus. *Stultorum squidem*, ut ait Sapiens, *infinitus est numerus.* Ob hanc enim causam, ut notum est omnibus qui recte sapiunt, tam magna pars mundi legi Mahumetis subicitur: quia maxima pars hominum carnis delitiis afficitur, quas ille sua lege omnibus indulgit. Et hinc patet quam male Lutherus gloriatur in multitudine discipulorum suorum: quoniam eadem ratione etiam gloriari posset Mahumetes contra Christum: cum ille etiam plures quam Christus habeat discipulos & sectatores. Joannes Calvinus, etsi parum faveat virginitati, modestius tamen agit contra illam, quam Lutherus. Quæ omnia postea, verbis illius hic primum citatis, manifeste omnibus demonstrabo. Pro virginitatis commendatione efficacissimum testimonium est quod Christus Salvator noster ait: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum celorum, qui potest capere, capiat.* Nam cum dixisset non licere alicui dimittere uxorem suam, nisi ob fornicationem: Discipuli hoc audito, grave admodum existimantes onus matrimonii ob vinculum illius indissolubile, dixerunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quibus Christus respondit: *Non omnes capiunt verbum istum, sed quibus datum est.* Sed quod est hoc verbum quod non capiunt, nisi illi quibus datum est? Certe hoc quod statim subjungit, dicens: *Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt. Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus. Et sunt eunuchi qui seipso castraverunt propter regnum celorum. Qui potest capere, capiat.* Ecce verbum quod non omnes capiunt, nisi quibus datum est, videlicet castrare seipsum propter regnum celorum. Et quia non omnes hoc capere possunt, ne videretur aliquem cogere ad id quod assequi non poterat, in cuiusque arbitrio illud reliquit, dicens: *Qui potest capere, capiat.* Ex istis verbis Christi apertissime constat virginitatem esse prælatam matrimonio. Quis enim non videt multo excellentius esse illud ad quod assequendum non omnium vires sufficienti, quam illud quod tam facile est, ut omnes illud capessere possint? Nullus est cui integra est natura, qui coire non possit. At rarus est qui possit ab omni specie coitus abstinere. Non enim omnes hoc capiunt. Præterea, Apostolus Paulus in priore epistola ad Corinthios, cap. 7. viduitatem præfert nuptiis, & virginitatem præfert ambabus, dicens: